



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

NVPTIIS

VIRI

*Reverendi & Doctissimi*

D<sup>n</sup>. M. DAVI-

DIS SACHSIL ECCLE-  
SIÆ BERNBURGENSIS

Neopolitanæ Pastoris

*Connubio stabili sibi jungentis*

*Virginem lectissimam, morumq; ac honestatis  
laude florentissimam*

REBECCAM

*Viri olim Reverendi & Doctissimi*

Dn. M. GREGORII FOR-

VVERCII, Antecessoris sui  
Filiam primogenitam,

XI. JULII ANNO CID. MDXXIV.

Bernburgi auspiciatò celebratis

*Carmina scripta ab Amicis.*

---

SERVESTÆ,

Typis Zachariæ Dörfferi.

12A

14A

N





*Votum nuptiale. Ex Ps. 128.*

*Et Gen. 24.*

**C**onjugibus quæcunq; piis ex corde precatus  
Est David vates, hæc tibi, David, ego.  
Quæ Bethuelq; ejuq; domus, pia vota Rebecca  
Pro thalamis fudit, fundo, Rebecca, tuis.  
Vivite concordēs, fœcundi estote, piâq;  
Saxii & Forwerciû prole beate genus.  
Vivite felices, ne vos fortuna volutet,  
Nil tragicum vestros exagitetq; lares.  
Tandem vos vitæ saturos, duriq; laboris,  
Tharaidēs molli sulcipiat gremio.

*M. Iob: Theopoldus Dominica 1. post  
Trinit, Anno 1614.*

**A L I U D.**

**C**onjugii perdulcis amor, Vinculumq; suâve  
Cui? Soli thovam qui reverenter amat:  
Est sponsus Christus jungens sibi fœdere sponsam  
Aeterno, Cuius noster imago thorus.  
Orem mirandam: CHRISTO nos spiritus unit  
Almus: sic CHRISTI membra sacra sumus.  
Gratulor ergo tibi cœdas, sponsaq; synerge  
Docte, tuo faveat, qui regit astra, thoro:

*U. P. n. C. as scripsit*

**M. Cunradus Reinhardus**  
Superintendens & Pastor Bernbur-  
gensis.

**A 2**

**ODE**



ODE

In nuptias ejusdem scripta à  
M. MARCO FRIDERICO VVENDÉLINO,  
Gymnasij Servestani Rectore.

ὀγδοάς α,  
 Σιωρὲς πολυφιλτάτων  
 ὦ θεῖα ἀδελφεῶν! παρφίτης  
 εὐφόρμιγι πάλα τραυῶντ  
 ὕμνω, ἀνακτ  
 ἡμερόπεσι καλόντε τερπι-  
 ζόντ ὠκυόρσις ἐτύχθη,  
 ἀρρηκτὰ φρενῶν δεσμ  
 ἢε κασιγνήτοις ἐρατφῶν;  
 ὀγδοάς β.  
 καλή, διοσῶ ἀμύμονε  
 ἔρηκε, θεῖα βροτῶσι, χαιρε-  
 τόν μοι, ὦ Κάρθλ ὦ Δαβίδτε!  
 χαιρετον, ἴσω  
 φρεσίτε ἐννεσίηστε ἡμῆστ,  
 ἦδη θαλάμωτε ἴσω,  
 μένοισι διίσάντ  
 ἐνομάτεσιν ἄλλα, ἐν ὄντε.  
 ὀγδοάς γ.  
 Εγὼ γῆν ἀρετῶν, φρενῶν  
 τιμώντε σιωρείδα κρατίσοι-  
 σιν δεσμοῖσι κατὰσφραγιθεῖ-  
 σαν, θαλάμοιο  
 τε ἐπι δεσμά γαμηλίοιο  
 ἀχερὰτὰ μιὰ φιλῆσαν  
 ψυχῆ, γαμηκῆσι  
 βασκαντ ὀχωλῆς λιασαίμιν;

ὀγδοάς δ.  
 Ἐκὰς βασκανίη φίλων.  
 ἀλλ' ὡς Κάρθλω νεωστὶ ἰεῖ  
 ἰεφ δαινυμένῳ γάμοιο  
 αἰσι ἀφδον  
 γαμοτελῆνι Δαβίδ' αείδω,  
 ὀχῆς γαμηκῆς ἐνώσας,  
 πάσησιν ἐνωθεν  
 ἄπρεῖς ψυχῆστε δέμαστε  
 ὀγδοάς ε.  
 Φέρ' ἔν, χρισε γάμων Φίλε,  
 σῆς ερανόθεν χέας Φυσίζεν  
 ὄμβρον ἀμπεροσῆς. Δαβίδτ  
 πῖμπλαθι πασόν,  
 ἀρετέων γανόωντ κῆπον  
 καλῆς βοτάνης ἀπασῶν  
 ἀρδδε, πόλγτε  
 μέχερ διαυγῆς ἀνθε ἀφρε  
 ὀγδοάς ς.  
 Φέρε χρισε ὀμοφροσύ-  
 νης Φιλ', ἐρίδωντε ἐχθρῆ λυγρῶν  
 ἐχθίσας ἐρίδων αείλλας  
 ἴφι κέδασον.  
 σπόρον ἔσω θαλάμοιο ἐχθρῆς  
 νείφοντ ἀπέρυκε ἐχθρον,  
 αὐτὸς πολυόλβη  
 σπῆματὰ ἐμβαλλων ὀμονοίης.

Ille



**I**lle mihi PROSPER censetur sponfus, AMICA  
 Qui gaudet, Christo non renuente, PARI.  
 Namquè pares paribus rectè junguntur : amarâ  
 Sub cruce nec possunt succubuisse pares.  
 Rem bene pensiculans istam, fidissime Mysta,  
 Jam partem veræ PROSPERITATIS habes.  
 Nam cum sis docto natus bene, Sponse, parente :  
 Nata tibi docto patre puella placet.  
 Osint, ô utinam sint cuncta æqualia vobis!  
 Par vobis AMOR, & par sit utrique FIDES!  
 Vos PIETAS, vos alma pares PATIENTIA reddat!  
 Hæc paria. At dispar cura laboris eat.  
 Tu Templum cures: sed provida Costa culinam:  
 Sitis & accepti curâ in utrâquè DEO.  
 In primis vigeat vestro CONCORDIA lecto:  
 Nam soboles & opes hinc sibi semen habent.  
 Exulet econtra vestro DISCORDIA lecto:  
 Conjugium discors nam creat omne malum.  
 Plura darem forsan: sed, qua ratione terendi  
 Sint in amore dies, pagina sacra docet.  
 Hæc si norma tibi fuerit per tempora vitæ,  
 Largiter è superûm munera sede fluent.

I D E M

**S**Inon, Sponse, leporibus  
 Versus mellifluis sunt satis illiti:  
 Quos plectro solito favens  
 Tædis nostra canit Musa jugalibus:  
 Ut poscit lepidissima  
 Sponsæ forma, decus, culta modestia:  
 Ignosce, ingenuus tuæ  
 Sic candor bonitasque indolis admonet.

A 3.

Nam

Nam mihi nescio quis creat  
Curas difficiles atque molestias:  
Quæ dum sollicitant nimis  
Cor, me non faciunt dulciloquum satis.  
Non desisto tamen, TIBI  
Et SPONSÆ benè sit, ritè precarier.

*Abrab. Cremerus, Minister verbi divini,  
Serveste, ad B. Bartholom:*

A L I U D.

**V**is Frater Fratri tibi pangam carmina, nolo:  
Eloquar an Veneris spectacula ludicra, vanum est:  
Conjugium an monstrem sancitum Numine, notum est:  
Gratuler an vobis, ut mos, sacra fœdera, factum est:  
Virginis an contempra conia splendida, ineptum est:  
An referam Fratris laudes, me iudice stultum est.  
Vis Frater Fratri tibi pangam carmina, nolo.

M. Carolus Sachsius Ecclesiæ Quercetanae  
in Anhaltinatu Pastor, Fratri inter ger-  
manos germanissimo.

A L I V D.

**D**ic mihi, de COSTA cur sit fabricata mariti  
Femina, dic causas, Musa rogata, rogo?  
Non summo capitis de vertice, scilicet audax  
Ne raperet soli sceptrum tenenda Viro;  
Non imâ de stirpe pedum, ne fortè maritus  
Ipsam subsellî vellet habere loco.  
Sed medio est extracta Viri de corpore, nosset  
Hanc sociam vitæ conciliasse sibi:  
Sic tamen, ut maneat Lex inviolata Iehovæ:  
IMPERET HIC, DOMINO PAREAT ILLA SVO.  
Talem, Sponse, tibi medio de corpore COSTAM  
Grator, quæ capitis nescia sitque pedum.

Actu,



Ac tu, quæ tua sunt, facies, doctissime SAXO,  
Mitis eris, qualis vita probata tua est.  
Corporis illa tui pars est, odisse RIBeccam  
Haud poteris, Dominus quam jubet ipse coli.  
Sed quid ego moneo? florentibus affero campis  
Germina, quid facias, cum fatis ipse scias.  
Vivite felices, numerosâ prole replete  
SAXO, RIBecca, torum, Nestoreosque dies.  
Vivite concordēs, precor omnia prospera vobis,  
Evomat in thalamum nulla venena Satan.  
Si tamen objiciet qui cquam sors forsan acerbi,  
In melius fatis lenibus omne cadat.

*Johannes Splitbutius Bernburgi ad D. Stephani,  
ut vocant, Pastor F.*

*Eiusdem*

*χρονολογικόν.*

Distichon en Annum, Mensēque Diemque piarum  
Tædarum, & Nuptūm nomina, notificans,  
CeLo Vbi LVX JvLI bIs qVInta reLVXIt ab aLto,  
DaVIDI Sponso Sponfa RebeCCa VenIt.

*A L I V D.*

**M**Archia te genuit, teneris formavit ab annis  
Mentem Halberstadum, doctrinâ Julia primū  
Excoluit Sophiararâ, quam Leucoris auxit.

Marpurgum, verus quâ sit ratione colendus

Et Pater & Natus Sacro cum Flamine Iheva,

Non docuit primum, sed fundamenta salutis

Certa tamen iecit: quæis fulto viribus ipsa

Heidelberga dedit quosvis dissolvere nodos.

Tempore post uno nos nobilis ille Sophorum

Princeps Cornelius Martini ornavit honore

(Julia

Julia vidisti illustris! tituloq; Magistri.

Bernburgum tandem duplici te munere donas:

Multorum fideiq; tua curaq; salutem

Committit: Vera hinc Pietatis laude puellam

Insignem, formâ eximiam, virtutibus atq;

Moribus excultam sacro tibi fœdere iungit.

Dic age nunc, SACHSI, num patria Marchia, dives

Anne Halberstadium, num prestans Julia fama,

Leucoris alma, Ducis Marpurgum nomine clarum

MAVRITII, an verò docta Heidelbergæ, vetustum

Bernburgum officiis te pluribus auxerit?

Petrus à Jhena Servestâ-Anhaltinus

Scholæ-Senatoriæ patriæ Magister.

A L I V D.

**C**eu JOVA factis mirus in omnibus  
Quæ fecit unquam: sic variis suos  
Sanctos viis ducit, reducit,

Mirificisq; modis gubernat.

Afflictionum nuper is intulit

Tere palæstræ, jussus es, optime

SACHSI! gravem libare linguâ

Insipidi cyathum liquoris.

Dum Te perustum febribus aridis

Longo probavit tempore, dum Tibi

Mortis cruentâ falce caram

Cum genetrice tulit sororem.

Jdem beavit nunc solito DEUS

Te more rursus, dum Tibi pristinae

Jam sanitati restituto

Egregiam attribuit puellam.

Quæ matris instar sit Tibi, quæ Tibi

Sit carior vel mille sororibus;

Quæque igne febrili æstuanti

Pharmacôn adhibeat salubre.

Quacum

Quacum quietas ipse trahas dies,  
Noctesque dulcis; quæ Tibi morbidas  
Curas resolvens sit juvamen  
Inque malis placidum levamen.

Donum hoc J E H O V Æ tam faveo Tibi,  
Sortem beatam quàm faveo mihi:  
Nec credo quemquam esse, hocce qui non  
Ex animo faveat, bonorum

Connubiorum pronubus optimus,  
Auspexque C H R I S T U S, Coniugio tuo  
Adsit, pii ceu quondam J S A C I  
Adfuit & thalamo R E B E C C Æ.

At Tu, Tibi quod dia benignitas  
Indulget, hoc amplectere pharmon:  
Sic sanus ipse eris, parens sic  
Multiplicis sobolis cluebis.

*Christophorus Lelmius Eccl. Gernrodane Dia-  
conus ac Scholæ ibidem R.*

DAVID SACHSIUS  
REBECCA VORVERCIA

*Ex quo*

DA! CUR HÆC CEU SUBDIVISA RESARCIO.

*Elaboratio.*

**D** Vm quid hymen, quid amor, quid sint connubia curas,  
Castaq; coniugii jura subire paras,  
Coniugii si Sponse tui novitatibus adsim,  
Dextraq; arundineo carmine cepta probem.

Non facile quicquam possim delinquere demens,  
Aut temerè admissi conscius esse mali.

Cum fas spontè bonos convivias adire bonorum,  
Atq; favere toris lingua animoq; novis.

Sanctio, coniugii haud aphyarum est gloria, summum  
Sed manet aeterni munus opusq; Dei.

**B**

*Quo,*

Quo, qui confusum sine honore, & amore hymenaum  
Odit justitiã sic prohibente Deus  
Cardine quaque suo disponit & ordine, binã  
Unicus ut castè corpora iungat amor.  
Quo quasi compedibus ferro & compagibus arctis  
Insano illicitas frenat amore faces.  
Exemplum Sodoma est, Sodomaq; aquata Gomorrha,  
Dardanidumq; illud gloria Troia probat.  
Hei mihi, quam Sodoma similis similisq; Gomorrha,  
Coniugii quisquis condita iura vetat.  
Quo violare fores mage clavis adultera possit  
Vicinas furtis ingeniosa novis.  
Crede mihi, bene qui suevit, bene vixit, & inter  
Aethereas dabitur vivere laticias.  
Crede Deo, male qui suevit, male vixit, & inter  
Sulphureos dabitur delituisse rogos.  
Hoc Papa, Pontificumq; facit cleriq; manipulus,  
Exemplo reprobos quos, pie sponse, tuo.  
A calamo ad thalami dum condita iura recedis,  
Et studiis adium captus amore levas.  
Sanctum opus aggredieris, prisci q; Quiritibus olim  
Gratum opus, inq; piã religione pium.  
Rectum iter ingrederis, tu dextro numine perge  
Quo bene capisti currere, tutus eris.  
Unica sed mentem subit admiratio, nempe  
Cur res solliciti plena timoris amor.  
Cum potius captum bene fortunante lehorã  
Res sit propitii plena favoris amor.  
Est ita: mens hominis ad utrumq; parata referre,  
Ingenii suevit semina saepe sui.  
Sic scelere ante alios genioq; dolosior omnes,  
Res est perfidia, lena nocentis homo.

Huius

Fluius semicremo quisquam si stipite mentem  
Arbiter aduersa fronte notare velit.  
Aut malè tornatos incudi reddere mores,  
Auxiliatrices experiundo manus,  
Infanti herculeos aptabit, credo, cothurnos,  
Membræq; coniunget puluerulentæ soli.  
Aut hederas queret post anthisteria, festi  
Tempora cum vix sint iam reditura chori.  
Sic oleum perit cascæ si ducere cascus  
Gestiat, & sterilise renovare toro.  
His Gygis aptus erit mirabilis annulus, equos  
Interdum simulans dissimulansq; dolos.  
At qui Thesea pietate fideq; movetur,  
Res est consilij plena faventis homo.  
Ille favente Deo vel vimine naviget, omnis  
Sit licet undisonis mota procella malis.  
Talis tu pie sponse viges, qui querere possis,  
Quod tibi transposito fert anagramma pede.  
DA! CVR HAEC CEV SVBDIVISA RESARCIO fata?  
Conscia fata mali, nescia fata boni,  
Conscia fata mali, mors dum invidiosa parentem  
Sustulit è medio Sponsa REBECCA tuum.  
HAEC ego nunc CEV SVBDIVISA RESARCIO fata,  
Fata Dei eventu non caritura suo.  
Conscia fata mali, dum me arida febris habebat,  
Et face pro thalami fax mihi mortis erat.  
HAEC ego nunc CEV SVBDIVISA RESARCIO fata,  
Fata Machaonio dura labore mihi.  
Talis te pie sponse manet sat congrua conjux,  
Cui Domini pietas cura, animæq; salus,  
Proxima erit proprium cura observare maritum,  
Iuraq; feminei dextra subire chori.

B. 2

Nec

signis

*Nec te Penthesilea furens, nec acerba Dione  
Vrit, sed Phyllis Demophoonta suum.  
Par benè compositum, cum Bitho Bachiis arctè  
lungitur, aut Choo Batthis amata suo.  
Sic sponsam tibi teq; illi probitasq; fidesq;  
Iunxit, & in vero pectore verus amor.  
Penelopen non sic versutus amavit Ulysses,  
Nec Pyladen tanto zelo Agamemnonius.  
Gratulor, utq; suo vos numine Iova gubernet,  
Nestoris adjiciens secula multa, precor.  
Sic tua, sic Phyllis tua, se tibi te sibi jungens,  
Ingenii & genii fulta calore tui,  
Frondis amygdalina geniali fanore passa  
Incipiet gravidis luxuriare comis.  
Sic tibi vota ferent felicia fata, tuusq;  
Res erit auxiliij plena iuvantis amor.  
Hoc tibi sincero properatum pectore votum  
Debueram thalamo succinuisse tuo.  
Vive, vale, virtute vale, violatus ut ullam  
Vim valeas valide vincere, vive, vale!*

*Vovebat.*

**M. Christianus Moldenhaverus**

Scholæ Patriæ Conrector.

*A L I V D.*

**C**lara dies totum radijs perlustrat Olympum,  
Æstivumque novo lumine vestit humum.  
Agri nunc lati varijs se frugibus ornant,  
Omnia nunc rident gramine, flore, comis.  
In fluvijis piscis, volucris nunc ludit in auris,  
Nunc in humo viridi luxuriatque pecus,  
Quilibet exultans flaventia demetit arua.  
Nunc, largas messe terra benigna dedit.

*Singulâ*

Singula quid referam? testantur gaudia cuncta,  
Latitiæ produnt omnia signa novæ.  
Ergo quid ipse domi lateam? juvat ire per auras,  
Ejicere ex animo tristitia sensa juvat.  
Verum cum spatior sic margine solus in Albis  
Hic, ubi Virginæ visitur urbis opus,  
Fortunæ casus, adversas voluo revolve  
Ipse vices, mecum tristitia fata queror.  
Immites mihi nam Parcæ rapuere parentem,  
Qui fuerat studijs portus & aura meis.  
Cur pater hac hora me mellitissime linquis,  
Quâ indigeo auxilio consilioque tuo?  
Quis mihi consilijs, quis voce jubente præbit,  
In studijs fidus quis mihi ductor erit.  
Quisve dabit sumptus, sine queis nihil utile fiet,  
Afferet in dubijs quis mihi rebus opem?  
O dilecta parens, quos ægro pectore luctus  
Ægra foves? ô quàm plena dolore gemis?  
Vos quoque contemlor mihi pectora chara Sorores,  
Ecquis erit, qui vos adjuvet auxilio?  
Sed chari haud nimium mortem deflete parentis,  
Absit jam lacrymis ponere nolle modum.  
Mortuus haud pater est, quem scimus morte renasci,  
Non ea mors dici sed nova vita potest:  
Sit modus in fletu, Mater, charæque Sorores,  
Ipse erit orbatis portus & aura Deus.  
Tu Deus esto parens, esto tutela relictis  
Pupillis miseris, tu Deus esto parens.  
Tu viduæ domui solatia congrua præstes,  
Nulla venit miseris, te nisi dante, salus.  
Hæc dum ego perpendo, nova gaudia fama Sorori  
Insperata meæ nuncia fama refert,

B 3

Scilicet

Scilicet huic thalami spondet jam sacra parentis,  
Successor, vitâ, moribus, arte gravis.  
Audito hoc, curâ tristi licet obrutus essem,  
Corde tamen cœpi gaudia summa meo.  
O Dominum verè mitem, qui mittere certum,  
In dubia incertis re solet auxilium!  
Is quoque te placido vultu respexit, acerbo  
Ob mortem patris plena dolore foror.  
Dum juvenem stabili junxit tibi fœdere cultum,  
Doctrinâ solidâ cum pietate simul.  
Concio divinum verbum quem attenta docentem  
Miratur, mentes flectere quique potest.  
Per solvas Domino grates, charissima tanto  
Qui te dignatur munere, Sponsa, vivo.  
Observes illum, cures, recreesque colasque  
Vera piæ sunt hæc conjugis officia.  
Tu quoque laude facis dignum, quod jungis amicam,  
Consortem thalami, Sponse colende, tibi.  
Cum qua pacificus vivas, quæ gaudia firmet,  
Cum fortuna juvat, cumque serena micat  
Quæ contra sortem dulci sermone repellat,  
Cum fortuna velut dura noverca tenat.  
Res sacra conjugium, concordie mente colendum,  
Nam primò instituit castus in orbe Deus.  
Hoc ipsum atque elementa suos retinentia nexus,  
Cunctarum & rerum femina prima docent.  
Si genus aspectes volucrum, genus omne ferarum,  
Quod vivit, junctum est cum pare, quodque sua,  
Iungit amor virides cognati seminis herbas,  
In medio pisces æquore jungit amor.  
Omnia depingunt casti simulachra cubilis,  
Seu terram aspicias, fulgidave astra poli.  
Gaude igitur pulchram, doctissime sponse, puellam  
Nactus, ama nec non hanc reverenter habe.

Quæ



Quæ tibi ceu Domino præstabit in omnibus æquum  
Obsequium, curans teque domumque tuam?  
Lis abeat, lectum vestrum concordia cingat  
Læta, sit in vestro nulla querela toro.  
Arboris hæc tua sponsa instar frondentis olivæ  
Fæcundæ gignat pignora pulchra tibi.  
Sponse diu vivas felix, tu sponsa superstes  
Vive diu, & multâ prole beata, Vale.

*Adamus Forvercius*

*Sponse Frater.*

*A L I V D.*

**F**esta paras læto dum connubialia plausu,  
Hoc DEO & acceptum & gratum est, carissime Frater,  
Nam DEV Sipse sacrum primò introduxit in orbem  
Coniugium, & casti socialia fœdera lecti.  
Hisce tuis igitur cæptis virtute probatos  
Cum videam acclamare viros, ac arte peritos,  
Me quoq; Germanum decet haud tacuisse fidelem.  
Verùm Frater ego vetor en, præconia famæ  
Inclyta Sponse tuæ, & præclaras dicere laudes,  
Gratulor ergo tibi de tali, Frater amande,  
Sponsâ, quæq; pio nata est doctòq; Parente,  
Olim qui docuit cœlestia dogmata Christi,  
Quæ pia, quæ verè est morum vitæq; magistra.  
Atq; precor IHOVAM, vobis benedicat ut ille,  
Vt sub tranquillâ videatis pace senectam,  
Vos tandem saturos annis faciatq; beatos.  
Hæc rogo: Tu Flatus sacer, horum mentibus adsis,  
O ita conjugium Fili cum Patre secundes.

*Ernestus Sachsus*

*Sponsi Frater.*

*F I N I S.*



№ 1996

8

U

ULB Halle 3  
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!


28 a / 50 / 1996 /

U 8 17

M

DX





PTIIS  
 IRI  
 & Doctissimi  
**DAVI-**  
**SIL ECCLE-**  
**BURGENSIS**  
 næ Pastoris  
 bili sibi jungentis  
 , morumq; ac honestatis  
 rentissimam  
**CCAM**  
 rendi & Doctissimi  
**GORII FOR-**  
 Antecessoris sui  
 primogenitam.  
**VNO CID. ICCCXIV.**  
 uspicatò celebratis  
 scripta ab Amicis.  
 VESTÆ,  
 chariæ Dörfferi.

120f  
 141  
 N

